



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Pars VII. Erga Jesum Christum pro nobis passum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

EXERCITIORUM

PARS VII.

Erga JESUM CHRISTUM pro
nobis PASSUM.

EXERCITIUM I.

*Qualis propter nos JESUS factus: tales no
propter illum fiamus.*

1. STatue tibi ob oculos Cordis, JESUM PASSUM,
lividum, sanguinolentum, convulnера-
tum, concisum vulnere super vulnus, de Cruce
pendulum, mortuum.

2. Intuere & inspice illum diligenter totum:
ex omnibus circumstantiis, Personæ, Naturarum,
Dignitatis, Innocentia, Sanctitatis, Sapientia,
Omnipotentia, Bonitatis, Charitatis; Ex Pa-
upertate quoque, contemptu, humiliatione, ma-
ledictis, calumniis, tormentis, vulneribus, do-
loribus, morte: Ex Virtutibus, Amoris Dei &
nostrí, Puritatis, Castitatis, Obedientia, Man-
suetudinis, Patientia, Modestia, Affabilitatis,
Benignitatis, Prudentia, Justitia, Misericordia,
Temperantia, Fortitudinis. In Patrem reveren-
tiæ, in voluntatem Dei resignationis, Veritatis,
Zeli gloriae Dei, & salutis nostræ, &c. Ex officiis
quoque Summi Sacerdotis, atque Pontificis,
Regis, Legislatoris, Patris, Pastoris, Magistri,
Ducis seu Imperatoris, Medici, Sponsi, Advo-
cati,

IM cati, Pacificatoris, Hostium nostrorum debellatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, Judicis, Salvatoris nostri.

3. Recordare illum talem esse propter te: hoc est, propter salutem tuam, propter peccata tua, propter Amorem tui, quo amat te, & quo amari vult, ac debet, à te: denique propter exemplum tibi ad imitationem dandum: ait enim;
*Exemplum dedi vobis, &c. Christus Passus est, vobis i. Petr. 2. 22.
relinquens exemplum, &c.*

4. Cogita, atque delibera, & decerne: Quo ille dignus sit? quid tu illi debeas? quomodo velis ei retribuere gratiam pro gratiâ, quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? quid dabimus Homini isti, per quem omnibus bonis repleti, omnibus malis miseriisque erexitur? &c.

5. Non potes aliter, nec melius, nec gratiùs, nec condignius, quam Amorem Amore rependendo: Amore autem, quam efficacissimo, inflammatisimo, generosissimo, robustissimo, constantissimo, insatiabilissimo. Et præterea, imitatione quam accuratissimâ, quam devotissimâ, quam plenissimâ, vestigiorum, exemplumque illius.

6. Constitue itaque & propone, vivacissimis, resolutissimis, capacissimis, & irrevocabilibus omnino propositis, totum te in hoc conferre, atque convertere: per omnem vitam tuam, per omnes actiones, internas, externasque tuas: ut ad vivum, exprimas in te, JESUM, transformisque, & prorsus transeas in ipsum: reddasque te Christiformem, ac planè alterum ipsum: tam in Corpore, quam in Corde, Animoque

O 3 tuo:

214 Exerc. I. Qualis propter nos JESUS factus

tuo: tam in desideriis, quam in factis, studiisque
tuis, ut tu vivas in Christo, & vivat in te Christus:
regnet, ac triumphet, emineatque in Christus.

7. Christus autem ille Pauper & non habens
ubi caput suum reclinet. Christus ille, con-
temptus, & opprobriis saturatus. Christus ille,
flictissimus & dolentissimus, Vir dolorum,
sciens infirmitatem. Christus ille, patiens,
patientia miseriisque, ac ærumnis satiatus.
Christus ille, Humilis Corde. Christus ille, obediens
usque ad Mortem Crucis. Christus ille, non
quærens gloriam suam, sed Patris. Christus ille,
cujus Cibus fuit, ut faceret Voluntatem ejus,
misit illum. Christus ille, Benedictus in glo-
riam Patris, sed pro nobis factus Maledictum. Christus ille,
Sapientia, Justitia, Sanctitas, Venit
sed propter nos stultus, insanus, dæmonium
habens, in furorem versus, homo non à DEO
sed blasphemus, sed seducens turbas. Christus ille
Bonus Pastor, qui non solum Verbo venti-
tis, & vitæ, non solum Carne & sanguine fu-
pascit nos, sed etiam Animam suam posuit,
ponit, pro nobis, ut oves ejus vitam habeant,
abundantiū habeant.

8. Talis Christus formetur in te, talis in-
rum perfectum crescat in te, in mensuram at-
tis plenitudinis suæ: talis vivat in te, & tu no-
n vivas in te, sed vivas in eo: ut jam ultrà non vivas
tibi, sed vivas ei, qui pro te mortuus est: ut ab
tibi in ullo aliquo gloriari, nisi in Cruce Domini
nostrí JESU Christi: per quem tibi mundus Cruci-
fixus sit, & tu quoque mundo. Talem Christum prædica:
Vitâ, & Verbo: & pro tali Legione

tione fungere, tanquam Deo exhortante per te,
& omnibus pænitentiam annuntiante, ut reconcilientur Deo: Talis Christi, Charitas urgeat te,
ut non possis non loqui, & non prædicare Chri-

1. Cor. 1. 23.

stum Crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam, falsis fratribus neglectum & vilitatem, ipsis autem Electis, Dei Virtutem, & Sapientiam, & Veritatem, & Vitam æternam. Talem Christum induie, ut exscoliatus veterem hominem, novum indutus vivas, ac incedas: exhibeasque te in

2. Cor. 6. 8.

omnibus exemplum bonorum operum, per aima futtile, à dextris, & à sinistris; per gloriam, & ignobilitem; per infamiam & bonam famam; per prospera & adversa. Talem Christum induie, qui pro omnibus mortuus est, etiam inimicis: ut tu quoque libenter sustineas impendi, & superiamenti pro Animabus redemptis morte Christi. exoptesque Charitate non fictâ, sed sincerâ, anathema esse à Christo, pro fratribus tuis in Christo: ut te uno & solo, & totò obstruatur porta infernalis, ne ullus amplius Christi sanguine redemptus, descendat in æternam corruptionem, & combustionem.

9. Pete gratiam istam à Christo, per vulnera Corporis, visceraque Charitatis ipsius Christi, ut in talem transformeris Christum, efficaciter, ardenter, innocenter, constanter, libenter, manuete, propter amorem; ex amore, in amore, cum amore, denique ipso Amore.

P R A X I S.

I Eju in tormentis posite, atque in congeriem omnium dolorum traducite, ex omni dolore Divinitatis, & Humanitatis exute, in abyssis misericordiarum, calamitatibus,

O 4 tatum,

216 Exerc. II. Quàm nos Christo Passo

tatum, & indignatum, propter me demerse, at sepulte. Ecquid tandem retribuam tibi, tanto, lique amatori? qui me amasti Charitate, & immensitate: ego autem non possum ad reddendum suffare, nisi cum amoris pauperculi modicissimâ, & plangutali admensione. O mi robustissime Amato JESU! compensa tibi Amorem omnem in me tum ita quidem sicut potes, scis, & vis, at specialiter per viam hanc: ut facias me quàm simillimum Tibi: Crucis tuæ omnis, quàm copiosissima participative digneris; ut in me nihil permittas, aut justineas, quæ communicatione, societateque Dolorum, Contemptuum, Dignationum, Exinanitionumque tuarum non sit conditum, non imbutum, non plane repletum fermentatumque, sed omnia sint mihi Cruciformia, ego totus sim alter, Tu Christus Crucifixus.

EXERCITIUM II.

Quàm nos Christo Passo dissimiles simus.

1. STatue tibi ob oculos seu mentis seu corporis passum JESUM.

2. Intuere illum quàm accuratissimè in hoc e^cesus statu, in quo à planta pedis, ad usque verum capitis non est in eo sanitas.

3. Quem ille subire dignatus est pro te, tunc ne talis tu esses, imò longe in deteriore; qui in iræ Dei, & damnationis æternæ: tunc ut in statu salutis, ac vitæ, beatitudinisque æternæ esses, à quo æternaliter, cum impossibilitate, & desperatione recuperandi, tuâ iniquitate excideras: reducereris autem ad eum Misericordiâ, & Charitate Dei, Meritis, & Passione, & que Crucis Morte Redemptoris, Observatio-

Doctri-

Doctrinæ, & imitatione Morum, Virtutumque
Salvatoris.

4. Animadverte, quām tu sis huic tuo
Redentori & Salvatori, & pro Charitate, Me-
ritisque ingratus: & Doctrinæ, Morumque, ac
Virtutum exemplis per omnia dissimilis.

5. Imò, & quam totis viribus tuis, per-
petuisque conatibus, atque industriis tuis, hanc
dissimilitudinem consecteris, similitudinem au-
tem defugias: planè ac si in hoc sita sit universa
Christiana professio, aut perfectio; quām ma-
ximè, longissimè, à Christo Passo, Humili,
Manfueto, Paupere, contempto, fatigato,
crucifixo, exinanito, innocentē recedere.

6. Christus namque in hāc vitâ mortali vi-
vens, perpetuò crucem suam bajulavit: passio-
nisque suæ amarissimum calicem babit: at nos
etiam nomen, etiam umbram, etiam guttam
passionis Crucis, calicisque horremus, & abo-
minabamur. Christus, hujus mundi & substi-
tiam, & jaçtantiam, & voluptatem penitus peni-
tusque respuit: nos toti, & cuncti, concupiscen-
tiâ Carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ
vitæ, famescimus, exediimur, absumimur. Chri-
stus angustam semitam, & arctam portam, quæ
ad Vitam dicit, & initivit ipse, & ineundam edi-
xit: Nos tamen lata porta, quæ ad perditionem
ducit, delectat, detinet, & in præcipitum damna-
tionis devolvit.

7. Leges Christi, & Sapientiæ Dei æternæ
Incarnatæque, in quibus est Salus, & Vita, &
beatitudo; nobis mera sunt deliramenta, & stul-
titia: Christo, Spiritûs paupertas, Beatitudo est:
nobis abominatio cordis est. Christo, beati sunt

O 5 qui

qui lugent, nobis lugere, & deflere peccata miseria est. Christo, beati sunt qui esuriunt, & sitiunt Justitiam: nos Justitia, & Sanctitas, & perfectio Christiana minimè delectat, delectat autem licentia vitæ, solicitudines divitiarum, gloriæ ab invicem consectatio, proximos quoslibet negligendi, aut injuriis afficiendi nequitia. Denique Christo contraire, Vita nostra est.

8. Erubesce, quod tam longè absis ab illæ JESU similitudine. Erubesce quod tam horreca illi assimilari, quod tantis ejus ærumnis, malitia tuâ, & perditione, malitiam secuturâ, causam dederis: quod tam parvos, & raros, fructus colligas ex tantis ejus laboribus, sumptibus, sudoribus: quod tantis ejus beneficiis & amoribus tam ingratum te exhibeas: quod tanta tamque indigna mala pro tantis bonis & donis retrubias.

9. Excitabis, & exiges ab ipso te alacritatem, & generositatem, cordialem ad patiendum, ad desiderium & famem patiendi, ad gustum in tribulationibus, in humiliationibus, in ignominia, in doloribus pro Domino, & cum Domino, in Corpore, in Animâ, in personâ tuâ, au etiam tuorum, in bonis externis, internisque, naturalibus, spiritualibus, in honore, famâ, dignitate, officio, in libertate, in delectatione, in consolatione, in omnibus omnino circumstantiis, in omni mensurâ, in omni consecutione & clausulâ: & quidquid demum visum fuerit Deus reputans pro summè singulari, eximiâque Gratia, si te dignum judicaverit, ut patiaris, & humiliaris, & in passionibus, humiliationibusque peculiaris: pro nomine quidem, neque tamen qua-

Ex. III. o
pro nom
tatis tuæ
JESU in i
nè pr
lis Tu esp
statu tuo
borreo,
modico:
debitissim
lis, &
Amator
nis tue,
ego max
fiam Til
tionibus.
ribus, in
JESU, su
persever
patiendi
babere c
tue.

Q
1. ST
illud Pri
tempesta
2. I
tum, n
sed tot

Ex.

Ex. III. Quid JESUS Passus loquatur ad nos. 219

peccata
riunt, &
s, & per-
ectat au-
um, glo-
s quos
nequitia
est.
s, ab iſ-
norresca
, malitie
caufam
ctus col-
s, sudor
moribus
tamque
nis retr
critatem
dum, ad
iftum in
ignomi-
n Dom-
tuā, au
rnisque
amā, dig-
ione, in
cumstan-
tione &
erit Deo
que Grā
& humi-
nusque fe-
nen qual-
pa

P R A X I S.

JESU in Doloribus posite, atque in Calamitatibus pla-
nē propter me demerse & defixe. Heu me! qua-
lis Tu es propter me, & quam ego dissimilis tibi in hoc
statu tuo? quam potius prae erubescendā mollitie meā
borreo, & erubesco, & fugio esse similis tibi, vel in
modico: licet hic ærumnosus status, omni jure est mihi
debitissimus, quippe qui incomprehensibiliter sum vi-
lis, & peccator, & omnis supplicii reus. O mi unice
Amator, & Benefactor JESU, largire mihi, Passio-
nis tuæ, cuius quidem præ omnibus aliis peccatoribus
ego maxima sum causa, fructum hunc præcipue: ut
fiam Tibi quam simillimus, in passionibus, in affli-
tionibus, in contemptibus, in paupertate, in dolo-
ribus, in opprobriis, in Cruce, in Morte. O mi
JESU, sustenta, corrobor, vires, & animos adde:
perseverantiam, & efficaciam largire, huic misello,
patiendi tecum & pro te desiderio: & fac me dignum,
habere consortium, & gustum, & famem Crucis
tuæ.

EXERCITIUM III.

Quid JESUS Passus loquatur ad nos?

1. Statue tibi ob oculos Cordis, JESUM Passum,
& undique ærumnis circumeatum; juxta
illud Propheticum: *Veni in altitudinem maris, &* Ps. 68. 3.
tempestas demersit me.
2. Intuere illum accuratè in hoc statu posi-
tum, non habentem speciem, neque decorem,
sed totum quasi leprosum, novissimumque vi-
rorum,

Ex. III. 220 Quod Jesus Passus loquatur ad nos
rorum, & percussum à Deo, atque humiliatus
propter Te.

3. Aures si habes audiendi; arrige: ad audiendam vocem sermonum hujus Prophetæ atque Concionatoris: (Patris, Magistri, Medici, Domini Benefactoris, Amici, legislatoris, Sponsi &c.) te non tam Ore, aut Verbis, quam Vulneribus & Doloribus, sanguineisque guttis, & lachrymis perorantis. Dicit ergo tibi

1. Ego sum pastor ille bonus, qui animam meam posui pro te.

2. Majorem Charitatem habet nemo: quam ut Animam suam ponat pro Amicis suis; ego autem posui pro inimicis, pro ingratibus, pro utilibus, pro vilissimis quorum unus, & primus es tu.

3. O vos omnes, qui transitis per viam presentis vitae, attendite, & videte, si est Amor, sicut Amor meus: & si est Dolor, sicut Dolor meus: si est sumptus, sicut sumptus meus?

4. Ecce quomodo dilexi te? Vide quanti mihi constes? attende quanto labore sudatum est, ut exiret à te rubigo tua, & egressa non est.

5. Quis sum ego? & Tu quis es? quid ego egi ac pertuli pro te: & tu quid pro me? immo, quod tu non egisti, atque etiam pertulisti, protulistique contra me?

6. Quid debui (potui) ultra facere vineam meam, & non feci? Lapidès collegi ex ea, sepem circumdedi ei, fodi in ea torcular, plantavi vitem electum: ædificavi in eâ turrim; locavi eam agicolis, omnem palmitem non ferentem fructum præcidi, & purgavi: ut fructum plus afficeret: expectavi triennio, & triennio, ut faceret uvas,

fecit autem Iesus uia fe
num ejus.

7. Si in tua: in te
homo, A
em meam
ligas me?

8. Qu
tor apud te
Constantian
gnabo Cor
am ad me,
9. O c
iens Anim
patas, no
squas salut
valde?

10. O
na: Cur
postamato
ores, sed i
sed despolia
tores tui.

Patre
a displician
te? quid ve
nisti in A
m in host
te tuis, ut
indubitat:

11. Qu
on Judæor
configes me

Ex. III. Quod JESUS Passus loquatur ad nos? 22 I

fecit autem labruscas, fecit etiam spinas: & uva
eius uya fellis, botri amarissimi: fel draconum vi-
num ejus.

7. Si in viridi Ligno me, hæc fecerunt pecca-
tua: in te arido quid fiet?

8. Quo ultra argumento comprobabo tibi,
homo, Amorem meum erga te, & solicitudi-
nem meam pro te? Quibus pretiis emam à te, ut
dilgas me? quibus laboribus, aut meritis emere-
cor apud te obsequium, fidelitatem, sinceritatem,
constantiam? quibus Armis aut Machinis expu-
go ab eo Cor tuum, ut subjiciam mihi, ut conver-
tam ad me, ut adhærescere faciam illud mihi?

9. O quousque dissolveris filia Vaga, insi-
ciens Anima? quousque fodies tibi Cisternas dis-
putas, non valentes continere, neque exhibere
aqua salutis, sed tantum aquas salsas, & amaras
valde?

10. O Anima dilecta, & electa, de millibus
usa: Cur deseris me, & recedis à me, & vadis
politatores multos? & certè illi non sunt Ama-
tores, sed illusores, sed inimici, sed proditores,
sed despoliatores, sed vulneratores, sed interfe-
tores tui. Quid invenisti in me Deo, Redem-
to, Patre, Medico, & Sponso tuo, iniquitatis;
ad dispiciam tibi, & post tergum tuum abjicias
te? quid verò bonitatis, & salutis, & amoris in-
venisti in Æmulis, & Adversariis meis, magis au-
ton in hostibus & mactatoribus, devoratoribus-
tuis, ut præponas eos mihi, & vadas post eos
indubitatam perditionem!

11. Quousque facies me pendere in Cruce,
on Judæorum, sed scelerum tuorum? quousque
configes me, quousque flagellabis, quousque
spinis

222 Ex. III. Quod Jesus Passus loquatur ad nos

spinis coronabis, quousque blasphemabis, quousque Barabbæ postpones me, quousque das in escam meam fel, & in siti meâ potabis me acci-
to? quousque iterum iterumque crucifiges
ipsi me, & ostentui habebis me? quousque ini-
mici mei os suum aperient super me, & amari-
mas amaritudines improperabunt mihi, quia pro
illis dilexisti quam me: & quia amplius ab illis
emeruisti æternum mortem, quam æternam vi-
tam à me.

12. Ad vos ô Pastores Ovium mearum sunt sermones mei: Os meum patet ad vos: eorū meum vulneratum atque dilatatum est. Emi mihi Animas non auro, neque argento, neque corruptilibus, sed pretioso sanguine meo, qui totus robeo, sed lethalibus vulneribus quibus concisus sum & emorior. Has vobis curandas pascendas, comisi: has vos in curam vestram suscipitis, harum lacte vescimini, harum lanā operimini, harum salute ego non gaudeo, sed earum perdi-
tione improperat mihi diabolus, & saginatur repletur infernus: Vos ergo effugietis Judicium meum, cum venero ad requirendum de mandatis vestris sanguinem pretiosarum mihi Animarum. Ah! quomodo vos effrigetis, qui tantam negle-
ritis salutem!

4. Potes & ultima septem Christi verba, huc ipsi negotio, id est, sermoni ad nos Dominico accommodare.

1. Exorat Christus suis Crucifixoribus Patrem: & te non exorabit, ut benignum & aman-
tem te exhibeas erga fratrem?

2. Com-

Ex. III. Qu-

2. Co-

Matri: co-

tum ipsissi-

spiritu M

ne utramq

3. I

Christus,

pulorum:

& meretr

dunt ad R

foras. N

is in statu

di Deo: p

4. Co

subtractur

nis partem

resque eff

nostrum:

linquat no

5. Si

quidem a

tem nostr

stantiam i

Animarum

futim Dom

6. Co

teria, Do

pro nobis

verimus.

7. No

Dominus

Fidelium

satis est illi

eriam illu

2. Commendat Matrem Joanni, & Joannem Matri: commendat & tibi eandem Matrem suam: tum ipissimam Genitricem: tum eam quæ tua in spiritu Mater est communitatem. Et accepisti-
isque in nè utramque in propria?

3. Latroni Paradyfi consortium promittit Christus, & largitur: quæ sors nulli etiam discipulorum à Domino contigit: nimirum publicani & meretrices, & peccatores, & latrones præcedunt ad Regnum Dei, filii autem regni ejiciuntur foras. Nempe non sublimitas statūs, sed virtus in statu sublimitas, & fervor in studio placens di Deo: placet Deo.

4. Consustancialis, & coæternus Patri Filius, subtractum suæ Humanitati ad horam protectio-
nis partem lamentatur: Nos etiam ridentes, jocan-
tesque effugimus, & effugamus à nobis Deum nostrum: cogimusque ipsum, ut vel nolens dere-
linquat nos.

5. Sitire se protestatur JESUS: & Calicem quidem aquæ frigidæ: sed magis infinities salutem nostram, amorem nostrum, ardorem & con-
stantiam nostram, fructum gloriae suæ & salutis Animarum; Et quis, quotusque est, qui expleat
stylum Domini?

6. Consummatum esse suum laborem, Amo-
rita, Dolorem, Opus suum, Dominus afferit pro nobis: cùm nos pro Deo ne quidem inchoa-
verimus.

7. Non soli Patri suo commendat in manus Dominus JESUS Spiritum suum: etiam cuilibet fidelium suorum commendat eundem. Neque patet illi, quòd in manibus Patris æterni sit: vult etiam illum in nostris Cordibus, Amoribus, Ma-
nibus,

Ex. IV. 3.
224 Ex. III. Quod IESUS Passus loquatur ad noi
nibus, Operibus esse, manereque, non tantum
viventem ac securum, sed etiam vegetum, etiam
succrescentem, etiam superadultum usque ad
mensuram aetatis plenitudinis Christi. Spiritum
Christi, qui non habet: hic non est ejus.

¶. Hos, similesque sermones Palli & Crucifixi JESU audiens, deliberabis, judicabisque tecum ipse, quid te respondere ad hæc Domini dicitur. Et a par sit: respondebisque statim, & quidem magis affectibus, quam vocibus, Corde potius quam ore, opere & effectu, potius copioso, quam sterili affectu.

P R A X I S.

JESU in doloribus demerse, atque in Virum regem ærumnarum transformate, non tam vulneribus concise, quam totus unum quoddam immensus vulnus facte; Heu! quam ista vulnera, tormentaque tua clamant ad me! heu! quomodo vim facient cordi meo clamore suo! Audio Domine, audio, ac plane etiam video, manibusque ipsis palpo quid tu justissime requiras a me: quomodo nullam excusationem, preter ignaviam meam, habeo coram Te. En Domine, en Cormeum, en Voluntas, Intellectus, Memoria. En Amor, libertas, Honor. En Corpus, Anima, Vita, cum omnibus partibus, potentiis, sensibus, actibus que suis. En tota substantia mea, cum tota capacitate suâ, tibi parata, tibi subdita, tibi redditâ, tibi donata, oblata, devota. O Domine, da quod jubes, jube quod vis. Amorem jubes? da quod jubes, jube quod vis. Pati jubes? contemni jubes, laborare jubes, subdijubes, condonari jubes, condemnari jubes, mori jubes? da quod jubes, jube quod vis. Por-

Ex. IV. *Jesus Passus, Aquæ Mediceæ, in Sc. 225.*

*Voluntas tua, portio tua Voluntas mea:
portio mea Sanguis tuus, portio tua sanguis meus:
portio mea Dignitas tua: portio tua dignitas mea:
portio mea Substantia tua: portio tua substantia mea,
in eternum.*

EXERCITIUM IV.

JESVS Passus, Aquæ Medicæ, in ablutionem, & sanitatem.

1. Statue tibi ob oculos JESUM Passum.
 2. Inspice illum diligenter in hoc ejus admirabiliter miserabili statu esse velut Balneas, & Medicas aquas : in ablutionem & sanationem omnium morbidorum.
 3. Considera hoc balneum : tibi quoque , unà cum Mundo universo , præparatum & instructum : ante ad illud invitari. Invitant voces illæ ; Omnes Iij. 55. 1.
sicut venite ad Aquas. Et, erit fons patens domui Zach. 13. 1.
Iael ad ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et,
venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis , & Matt. ii. 18.
ego reficiam vos cibo meo , potu meo , mendicacione meâ. Et adhuc : Effundam super vos aquam Ezech. 36. 25.
mundam , & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris , & dabo vobis Spiritum novum , & vi-
tatis.
 4. In hoc balneo te demerge : atque in his ther-
malibus fontibus ; sudore , sanguine , lachrymis ,
aboribus , tormentis , opprobriis , contemptibus ,
egestate , morte , meritis , & gratiis JESU Christi
exundantibus : ac propter te manantibus.
 5. Lavare in his aquis tanquam immundus :
calefias tanquam tepidus : conforteris tanquam
V.P. Druzb. Op. V. P debilis :

226 Exerc. IV. JESUS PASSUS, AQUA MEDICI

debilis: ditescas tanquam egenus: saneris tanquam
morbidus: sanctificeris tanquam profanus: nobis
literis tanquam vilis: excoquaris tanquam for-
bus immistus: pretium & pondus acquiras, ta-
quam pretii & valoris nullius: coram omnium,
in primis coram divinis oculis.

6. Habet quidem Ecclesia Christi multiplex
balneum: in quo filiorum ejus Corda & Anima
abluantur, sanentur, sublimentur. 1. Est enim
Balneum Pænitentiæ tam Virtutis, quam Sacra-
menti: quod planè huic ablutioni sanationique
Animarum contritarum corde, institutum est.
2. Est etiam Balneum Charitatis in Deum atque
proximum, quæ dimittimus, ut etiam dimittim-
tur nobis. 3. Est quoque balenum communica-
tionis dolorum atque passionum Christi, proper-
Christum. 4. Est enim Balneum Justitiae, tribu-
lationis, & castigationis divinæ Paternæ, quo
Virgâ filiorum corripimur, erudimur, emunda-
mum. 5. Est insuper Balneum Gratiae & misera-
tionis divinæ, pro quo ille supplicabat, qui dice-
bat Deo; amplius lavame ab iniuitate mea. Et; Mi-
serere mei Deus secundum magnam Misericordiam tuam.
6. Est quoque Balneum Misericordiae & Eleemo-
synæ: quæ sicut aqua ignem, ita extinguit pecc-
tum: unde Dominus ait: Quod superest, date Ele-
mosynam, Ecce omnia munda sunt vobis.

7. Ad ista vero omnia balnea, accedit, & re-
cedere debet balneum pretiosissimi Sanguinis
Mortis, & meritorum JESU Christi: qui est
Agnus Dei, qui peccata mundi tollit, abluit,
emundat.

8. Omnia

Pſ. 50.

Luc. II. 41.

8. Omnim prædictorum balneorum usum
facti tibi familiarem & frequentem: at balnei San-
guinis, Meritorumque JESU Christi, fac usum
tibi omnino familiarissimum, ac non tantum quo-
tidianum, verum assiduum, atque adeo conti-
nuum, ita ut nulla sit actio, nulla passio, nulla
commotio tua interior, exteriorve, quam non
sanguini Christi intingas, meritis ejusdem unias,
& appreties: & coram Deo acceptissimam red-
das.

9. Quod ipsum factitare proderit, & Chri-
sto, ejusque Patri æterno placebit: cum aliorum
quoque omnium, quos in Charitate Christi di-
ligis, (debes autem, omnes, & singulos proxi-
mos, etiam inimicos, ingratos, inutiles, igno-
tos,) specialiter tamen speciali ratione in Chri-
sto tuorum, personis, actionibus, necessitati-
bus, &c.

P R A X I S.

JESU in Cruciatibus immerse, & propter me, la-
brymis, sanguine, doloribus, sudore, vulneri-
bus, ignominiis, morte, meritis, gratiaque redun-
dans. O quam pretiosum lavacrum! o quam copio-
sum & plenissimum salutaris medicationis balneum
parasti Animæ meæ! Immergo & abluo me to-
tum in eo, cum omnibus cogitationibus, locutioni-
bus, actionibus, passionibus, occupationibus, nego-
tiis, officiis, necessitatibus, curis, propositis, de-
sideriis, intentionibus, difficultatibus, partibus, po-
tentius, substantiis meis: præsento me, ac redbo, sic
universaliter, & totaliter ablutum oculis tuis Di-
vinis. Hoc Balneum tuum, est solatium meum, est
sanctum meum, est salus mea, est pretium meum.

P 2

Hic

228 Exerc. V. JESUS passus quantus

Hic abluo maculas meas , hic calefacio frigus meu
hic conforto infirmitatem meam , hic suppleo omne
defectus , egestatesque meas , neque meas tantum
sed etiam omnium meorum in te : omnium etiam pro
ximorum meorum : quos omnes una tecum
balneis , fontibusque tuis istis aeternaliter immo
go , &c.

EXERCITIUM V.

JESVS Passus quantus Inimicorum
Amator?

1. STatue tibi ob oculos Cordis JESUM Pa
sum.

2. Diligenter intuere statum hunc ejus, qua
lem in Passionē & subiit , & sustinuit.

3. Peculiari intuitu dispice Amorem ejus
erga inimicos, erga persecutores, erga contem
ptores, erga ingratos, erga crucifixores. Etenim
pro his moritur a quibus moritur: pro his fun
dit sanguinem, qui ipsum ejus fundunt sangu
inem: patitur pro te etiam , qui passionis ejus
causam dedisti , & qui eum Crucifixisti, qui ejus
Crucifixionem saepius & saepius repetiisti: quia
sanguinem & mortem ejus repetito millies con
culasti: ita ut tibi incumbat justissime affirmare
de te, quod Paulus affirmavit de se. (Venit Do
minus JESUS peccatores salvare , quorum ego
primus sum.) An non potes tu cum Paulo, de
hoc infelici primatu contendere?

4. Accede ad hoc amorosum, & erga pro
prios Crucifixores, hostesque Capitales, eos
demque simul inutilissimos , atque vilissimos,
adeo

is meu adeò mite, benignum, mansuetum, profusum,
eo om̄e prodigumque Cor : atque ex eo abundanter
tautum hauriendo, inebria te Amore cordiali inimico-
tiam pr̄rum, ingratorum, contemnentium, oblocuto-
necum rum, persecutorumque tuorum quorumcun-
que, & qualiumcunque.

5. Exardeste Amore sincero inimicorum, &
quorumcunque adversariorum : & consuesce
amare illos exemplo Christi Domini , ex corde
pleno, & ex Charitate non fictâ.

6. Maximè verò propterea , quia hic ipse
JESUS, Dominus, Deusque tuus, hos ipsos inimi-
cos tuos ; Charitate perpetuâ dilexit , sanguine-
que suo pretioso, & amarâ crucis morte redemit :
istamque omnem illorum in te malitiam, immen-
so dato pretio, tam apud æternum suum Patrem,
quam apud te ipsum , jam plusquam abunde
compensavit : utque tibi etiam ad Vitam æter-
nam prodeisset, comiteruit.

7. Ama igitur illos, tanquam redemptos, &
pretium sanguinis atque mortis Christi: obli-
visci: imo ne sentias quidem injurias omnes
tuas: pro quibus jam pretium adeò pretiosum &
copiosum ab JESU per solutum recepisti: quin
& quotidie recipis. Condonata illis sicut & Chri-
stus: quia & Christus donavit tibi: & quidem
infinites plura grandioraque debita; & dona-
tionis hujus necdum est finis: quod tute ipse
fateris, quando assiduè precaris, *dimitte nobis Matt. 6. 12.*
debita nostra. Si irasceris, si ulcisceris, si ultionem
desideras, vel expectas, si aversum animum in
corde foves; totum in JESUM redundat Passum:
aversione tuâ, ultione, irâ, odio, amaritie cordis
tui, pretium quod tibi JESUS jam persolvit con-

P 3 temnis,

230 Exerc. V. *Iesus passus quantus*

temnis: & minimè tibi gratum, aut aequum ostendis.

8. Unius ejusdemque debiti nemo duplice exigit solutionem: debitum inimici apud te tu jam tibi persolvit Dominus: ut quid ergo illam exiges per vindictam, per iram, per odium per malum pro malo redditionem?

9. Jam vero attende ad illud; Inimicus, contemptor, malefactor, detractor, calumniator, damnificator, tuus, talis licet sit, est nihilominus idem Dei Patris cœlestis, sicut & tu Filius: Christi Dei-Hominis sicut & tu frater: est tu in Christi sanguine (quo & tu, & inimicus tuus redempti, & regenerati in Dei filios es), consanguineus & germanus. Dum tu inimicum male perire aut perdere vis, optas, satagis, gades; vide quid agis? Nonne Deo Patri filium, Christo fratrem, tibi consanguineum, atque fratrem in Christo, perire vis? Et quam fronte, quam fiduciâ, ad Dei misericordiam, ad Christi gratiam, attollere animam tuam, exposcere debitis tuis veniam, expectare, promittere quæcumque salutem præsumis? ô Cain: quid respondebis Domino querenti; *Ubi est Abel frater tuus?*

10. Dispice: quam pridem in hac Christi Passi inimicorum Amatoris scholâ commoren- quam pridem, & quam sœpè hanc de Amore inimicorum lectionem prælegi, explicari que tua à Christo, Passo pro inimicis, audias: & eandem in libro Sacratissimæ Humanitatis ejus, cruentum vulnerum characteribus scriptam, immò sculpimus: quam vero parum haec tenus in hac Amanti inimicos, Christi Passi scholâ, & in his supereminenter Charitatis ejus scientia profecti

Gen. 4. 9.

t aquun
is; quām contraria huic doctrinæ sapias, sen-
tias, cogites, loquaris, facias?

11. Nunc ergo statim incipe, condiscere
hanc linguam, atque Christi Passi sapientiam:
ac si, vel olim, vel in præsenti, ab aliquo offensus
es, vel te aversum Animo sentis, dona totum
Christo Passo, & propter Christum inimicis tuis
omnibus, & singulis: sciens tibi non solū ad
plenum jus & æquum, sed etiam ex superefflu-
entia, pro omnibus debitis à Christo Passo esse
satisfactum.

P R A X I S.

JESU in doloribus, & ærumnis, pro me demerse,
atque pro tuis inimicis, & crucifixoribus, ex
tuā ineffabili Charitate patiens, iramque Patris tui
eterni, justissimam ab eis avertens, ac veniam eisdem
impetrans, mihi vero luculentissimum, efficacissi-
mumque exemplum, ac magisterium Amandi Inimi-
cos exhibens, atque hanc dilectionem, & injuria-
rum condonationem, atque oblivionem, nec non in-
beneficiā pro malefactis sepultio nem, apud me re-
dimens, atque satisfaciens; Omnibus Domine, om-
nibus, undecunque mihi adversariis, inimicis, in-
gratis, molestis, contrariis detractoribus, malefa-
toribus, censoribus, contemptoribus, illusoribus,
dimitto, & condono: & vincere mala eorum in
bono, bonoque pro malis reponere volo ac statuo: ex
corde, perfecte, propter te, in perpetuum. Volo
illos & amo tanquam meos, magis autem tuos, in
sanguinis tui pretiosi communione germanos, atque
filios, unoque mecum pretio pretiosissimo redemptos,
ablatos, sanctificatos, regeneratos. O mi JESU
inimicorum Amator, & in eorundem dilectione no-

232 Ex. VI. JESUS Passus, quantus Dei pat-
ster instrutor: da mihi in hac doctrinâ tuâ, tandem
tandem, semper magis ac magis proficere: ut per
omnia efficiar tuus discipulus, & frater, & filius
inimicorum propter te, amator sincerus: neque illius,
inter eos, & inter amicos, quantum ad Amorem eorum,
discriminis positor æternus.

EXERCITIUM VI.

JESVS Passus, quantus DEI Patris, ejusque
Gloriae, & Voluntatis Amator?

1. STatue ob oculos Cordis tui JESUM pa-
sum.

2. Ejus hunc lachrymabilem luctuosumque
statum, quam accuratissime, penitissimeque u-
trospicies.

3. Ex hoc ejus statu, atque ex hac miseri-
bili specie conjicies, imò dispicies, Amorem
ipsius erga suum Patrem æternum: nec non pro
gloriâ illius zelum, & denique ad ejusdem Vo-
luntatis omnia mandata, atque placita subiecti-
simam promptitudinem, promptissimamque
subjectionem.

4. In omnibus Creaturis nullam invenies
quam majore in Deum æstuaverit, & æstuet Cha-
ritate quam JESUS. Cujus rei evidentissimum
specimen habes: in ejus Incarnatione, Vitâ, Pa-
fione, ac Morte. Neminem invenies, qui pro
Dei gloriâ plura, & grandiora egerit, atque per-
tulerit, qui ejus Honorem majoribus impensis,
gravioribus laboribus, robustioribus & constar-
tioribus studiis, magnificentioribus & illustri-
bus exemplis operibusque procuraverit, pro-
moveret.

moverit, promeruerit, stabiliveritque, quam
JESUS: quorum omnium in totâ quidem Vitâ,
inque omnibus momentis Vitæ, ad potissimum
in morte luculentissimo eluent specimina, atque
exempla.

5. Neminem invenies, cui Deus graviora,
durioraque, ac omnibus difficultatum, arduitatemque
generibus exaggeratiora proposuerit,
ac imposuerit mandata: quivè magis fuerit ser-
vus, ac mancipium per omnia divinæ Volunta-
tis, & quo illa magis abusa sit, in omni genere
villum, abjectorum, difficilium, Heroicorum,
indignorum ejus personâ operum & obsequio-
rum: qui eam magis promptè, exactè, in omni
puncto, in omni horâ, in omni apice sit execu-
tus; qui eandem studiosius verbo, & opere,
exemplo, & dispendio proprio, jacturâque bo-
norum omnium, omni magnitudine majorum
commendaverit, atque prædicaverit hominibus;
qui se eidem arctius adstrinxerit, ac in eam, ejus-
que arbitrium & possessionem, totalius, pleniusque
transfuderit, quâm idem Dominus JESUS,
cujus totius rei absolutissimum paradigma ha-
bes, in omni quidem ejus Vitâ & vitæ actu, sed
potissimum in ipsius Passione ac Morte.

6. Hanc arctissimam sui ad Voluntatem di-
vinam adjunctionem, expressit perquam mira-
biliter, Dominus JESUS, illis verbis suis; (*Meus* *Io. 4. 34.*
cibus est, ut faciam Voluntatem ejus, qui misit me
Patris, qui in cælis est) Cibo vivimus: cibus in
substantiam aliti, seu comedentis, transit, & suas
ei inheret proprietates. Christus ergo Voluntate
Dei passus, cibatus, nutritus, saginatus; & illa
fuit substantia ejus: ac ejus qualitates, Christi
fuere

234 Ex.V. JESUS Passus quantus Dei Patris,

fuere qualitates, ac proprietates: adeoque totus Christus ipsissima Voluntas Dei fuit. Tu hinc disce: quā obstinatione, seu obfirmatione De voluntati adhærescere te oporteat?

7. Tale aliud exemplar nec habebis, nec dabitur tibi in æternum. Unum tale in Monte Calvario, super Crucem, expansum, & affixum est. In hoc Exemplar, non tantum Cor, & Oculos, sed etiam substantia Corporis, & Animæ vires defigere, implantare, & inserere oportet. In hoc Exemplar, quod se quis perfectius transformat, illudque in sese elaborat, eò est Patri æterno charior & propior, quia & IESU Passio similior.

8. Huic Exemplari, quisquis difformis est, hic Deo ingratus est, quia secundum Cor Dei non est: nec ulla qualitates habere potest, quibus Deo gratus reddi possit, sed necesse est, ut abjectus a Deo sit.

9. Jam igitur, inspice, te quidem uno oculo, exemplar autem istud altero, teque cum illo compara. An scilicet sic ames Deum, quomodo illum amavit IESUS? An sic ardeas Zelo glorii Dei, quomodo arsit IESUS? an sic unitus & transformatus sis in Voluntatem Dei, siue omnino sis ejus mancipium redditus, quomodo fuit, & propter tuum quidem exemplum fuit, IESUS?

10. Recordare illius Dominici dicti: quando quærens, quae esset Mater sua quiyé fratres & sorores suæ, extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerint voluntatem Patris mei, qui cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater ej-

Luc. 8.19.

Quo

Quo afferto Domini, planè ignoro, an quid-
quam magnificenriùs unquam, & uspiam, in
omnibus scripturis Sacris, de servis Dei enun-
ciatum sit. Quid enim magnificenriùs adpro-
mittatur servis Christi, quàm quod possint esse,
non tantùm sorores, non tantùm fratres, sed
etiam Matres Christi? Et tamen veritatis æternæ
verbum non potest non esse verum: sed quot-
quot sunt factores & operatores divinæ Volun-
tatis, tot omnino sorores, & fratres Christi sunt:
quotquot autem etiam prædicando voluntatem
Dei aliis quoque annuntiant; illosque factores
divinæ voluntatis reddere student; tot quasi
Matres ac Genitrices Christi per prædicationem
fiunt.

11. Intuens itaque, tantum JESU passi, erga
Patris sui æterni voluntatem, amoris studium;
tantum gloriae illius zelum; tantam eorum, qui
Dei voluntatibus, sive exequendo, sive alias ad
cognitionem, amorem, executionemque illius
trahendo, devotissimè inserviunt, exaltationem,
atque cum ipsâ Dei Matre comparationem; in-
tuens etiam tuam propriam eā in re incompara-
bilem, inexcusabilemque ab JESU Passo dissimi-
litudinem; ex toto corde tuo, tepiditatem, &
ignaviam tuam confiteberis: eam omni prorsus
conatu radicibus exues, totum autem te, ad fa-
ciendas, & ad prædicandas Dei tui voluntates
transferes, atque transfundes: ut faciendo qui-
dem illas, frater & soror; prædicando autem
easdem, Mater Christi evadas.

PRAXIS.

P R A X I S.

JEsu pro me in doloribus posite, mihi que, in Te Passus tu& in Patrem tuum &ternum Charitatis, tui p*cincinni m*
ctulo pig
de nido la
conversat
nis &c.

illius gloria zeli, tu& ad ipsius dignissimam voluntatem subjectionis & adglutinationis exemplar prabens: confiteor, cum rubore quidem faciei mee, meam supinam, & inveteratam in tui imitatione cordiam. Ecce nihilominus totus sum in virtute gratiae tuae, totus prostratus jaceo ad pedes misericordiae tuae, postulans & mendicans tota egestate mea ut facias me germanum, & verum tu& erga tuum Patrem Charitatis filium: ut facias me pabulum Zal, ignemque insatiabilem in promotione Honoris Divini: ut denique facias me &ternale mancipium, voluntariumque jumentum, sanctissimae, ac laudabilissime Voluntatis Divine, sempiterne Domine & Sponsae meae.

EXERCITIUM VII.

JESUS PASSUS, NOBIS BONA OMNIA.

1. STatue tibi ob oculos JESUM Passum.

2. Intuere illum, in hoc doloroso, simulque fructuoso per omnia statu, quam accuratissime.

3. Intuere illum: ut nubem roridam, ex omnibus corporis sui sacratissimi membris, partibusque sanguineo rore stillantem, ac diffluentem. Hic ros, ros lucis est, ros dilectionis, ros salutis, ros vitae ac beatitudinis &ternae. Utinam hoc rore madescat undique Anima tua. Enille

Cast. 5.6. ipse loquitur tibi: Aperi mihi Soror mea sponsa, aperi mihi. Caput enim meum plenum est rore: & cincinni

cinni mei guttis noctium. Ergo surge, de le-
tulo pigritia, surge de loco oscitationis, surge
de nido languoris, surge de laqueo periculofæ
conversationis, surge de domo vanæ negotiatio-
lar præ- &c.

ciei mee, 4. Intuere illum: velut mamillam universi,
atatione, & papillas in se, quod vulnera hiantia habentem,
virtute lac sanguinis sui, inter infantulos, lactentesque
iisericor- fideles profundentem. Accipe, & arripe
tate mea halce papillas divinas: & ex eis totam interio-
rum Pa rem JESU substantiam exfuge, atque ebibe: ut
lum Zell, transeas totus in totum JESUM: ejusque mores,
ris Diri affectus, studia, perfectionem, & consummatio-
nem, tam gratiæ, quam gloriæ æternæ, in te in-
dabilissi- nasci facias.

VII. 5. Intuere illum: velut monile pretiosissi-
mum, ex selectissimis quibusque gemmis unio-
busque, artifice Charitatis manu elaboratum,
aque Animabus Sponsis exornandis destinatum,
propositum, oblatum, expansumque in
Cruce. Si es fidelis Sponsa JESU, si amans, si
Charitate flagrans, si tuam paupertatem agno-
tens, assume istud monile, eoque caput, fron-
tem, collum, pectus, aures, manus Animæ tuæ,
signè Sponso tuo eodem JESU exorna. Placebis
dubio ejus oculis, omnemque gratiam co-
ram illo invenies, semperque eris coram eo pa-
rem reperiens.

nis, ros 6. Intuere illum: veluti scutum impene-
Utinam trabile, contra omnes adversitates tuas elabora-
En ille tum, contra iram divinam, contra inimicas in-
Sponsa, ternales potestates, contra timores, & persecu-
ore: G tiones humanas, contra tuam propriam concu-
cinni- piscen-

238 Ex. VII. JESUS Passus, nobis bona omnia.

piscientiam, fragilitatem, malitiam. Hoc scutum
protectus, salvaberis,

7. Intuere illum: velut Cor, & Animam, &
Vitam Ecclesiæ, omnisque fidelis Animæ: quæ
Animæ, totum Corpus Ecclesiæ, omneque illum
membrum vivificatur, vegetatur, ac regitur: &
sine quâ Animæ, totum Ecclesiæ Corpus cadaver
est in anime, & informe, soli sterilitati, soli male-
dictioni idoneum. Sit ergo passus JESUS, ejus-
que Mors, tibi Vita, sit Anima, sit Salus, sit omnia
vegetatio, vitalitas, robur, soliditas, usque in
beatam æternitatem.

PRAXIS.

JESU dolentissime, & nos Passionis tuæ vigore si-
vans; esto quæso, mihi aridissime terre ros iri-
gans, esto mamilla me lactentem lactans, esto monile,
atque vestimentum pretiosum, nudum me, pauperi-
que vestiens, & ornans. Esto scutum me undique
circundans: Esto Cor, & Anima mea, me vivificant
& æternæ vitæ participem faciens: in quod ego, &
cum omnibus redemptis tuis exaltem, & magnifi-
cem, unâ cum æterno tuo Deo Patre, & Spiritu
Sancto, per omnia secula, seculorum,
Amen.



EXER